



**R. P. D. Thomæ Delbene Marvbiensis, Clerici Regvlaris,
Sacrae Theologiae Professoris ... De Immvnitae, Et
Ivrisdictione Ecclesiastica**

Bene, Thomas del

Lugduni, 1674

VI. An possit Prælatu legatu, vel hæreditatem Ecclesiæ suæ delatam
non acceptare.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98676](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98676)

Abb. in cap. cum ad monasterium, de statu Monach. Nauar. consil. 2. de Regularib. num. 32. & Sanchez de matrim. lib. 6. disp. 4.

- 27 Ceterum licet Prælatus absque Capituli consensu, ceterisque iuris solennitatibus non possit obesse alienando res Ecclesiasticas, potest tamen obesse in iudicialibus, permittendo aduersus suam Ecclesiam sententiam ferri. Item potest obesse in vfucapionibus, permittendo res Ecclesiæ ab alio temporis diuturnitate præscribi; quamvis in vtroque casu apparentis læsionis restitutio in integrum intra quadriennium Ecclesiæ concedatur. Abbas in cap. 1. num. 9. de præscript. & alij passim.
- 30 Obiicies, quæ alienari iure prohibentur, præscribi non possunt.

Respondetur cum Abbate in cap. cum non liceat, de præscript. num. 7. distinguo antecedens, si alienari simpliciter prohibentur, fauore ipsius rei, concedo quod tunc præscribi etiam impediuntur. (Qua ratione, dum fundus dotalis est sub administratione mariti,

- 31 & vxor agere prohibetur, præscriptio inchoari non potest, l. si fundum, ff. de fundo dotali, & l. in rebus, Cod. de iure dorum. Item dum bona filij aduentitia sunt penes patrem, & filius pro iis agere impeditur, præscriptio incipere non potest, l. 2. Cod. de annali except. & docet Abb. in cap. 2. de præscript. numero 11. Dixi, incipere non potest; quia si ante cœpta præscriptio rei, postea perueniat in statum, quo præscriptio non potest, v. g. marito in dotem detur, præscriptio interim suspenditur, ac veluti dormit, vt inquit Doctores.) Sin verò alienari non prohibentur simpliciter, sed solum limitatè, vt scilicet certa forma, &
- 34 solennitate alienentur (provt contingit in rebus Ecclesiæ, & minorum) tunc præscribi interdum non impediuntur, vti rectè adnotauit Gl. in l. ult. C. in quibus causis restitutio non est necessaria.

DVBITATIO VI.

An possit Prælatus legatum, vel hæreditatem Ecclesiæ suæ delatam non acceptare?

SUMMARIUM.

- 1 Prælatus non potest sine Capituli consensu, aliisque iuris solennitatibus rei immobilis, vel mobilis pretiosa legatum, vel hæreditatem Ecclesiæ suæ delatam non acceptare, seu repudiare.
- 2 Repudiatio, seu non acceptatio est quedam alienatio, quandoquidem ipsa res repudiata transit ad hæredem.
- 3 Ecclesia, cui legatum, vel hæreditas est delata, habet ius, & actionem ad illam ex dispositione testatoris.
- 4 Fauore Ecclesiæ talia relicta ipso iure transeunt in Ecclesiam, etiam absque traditione.
- 5 Legatum quodlibet generaliter in specie relictum transit à morte testatoris in dominium legatarij, neque requiritur expectare hæreditatis aditionem.
- 6 Pupillus non potest sine Prætoris auctoritate repudiare fundum sibi legatum, nam rem suam alienare non potest.
- 7 Repudiatio, seu iuris abdicatio, species alienationis censi debet in causa Ecclesiæ fauorabili.
- 8 Nomine alienationis in aliis prohibitionibus, non venit repudiatio legatarij, vel hæreditatis.
- 9 Marito permittitur repudiatio legatarij, vel hæreditatis, vt uxori obueniat.
- 10 Alienatio legatarij, vel hæreditatis non censetur facta in fraudem creditorum.
- 11 Opinio multorum Doctorem, quod Prælatus possit

recusare hereditatem, vel legatum Ecclesiæ suæ delatum, non est improbanda.

- 12 Legatum, vel hæreditas delata, & Ecclesiæ non incorporata, non est Ecclesiæ acquisitum, sed acquirendum.
- 13 Repudiatio non est alienatio, sed solum non acquisitio.
- 14 Paria non sunt lucrum non capere, & acquisita perdere.
- 15 Repudiatio simpliciter non est alienatio, quia ius legati, vel hæreditatis aduenda non est absolutum, sed conditionatum, pendens à voluntate acceptantis.
- 16 Facta rei repudiatione, conuincitur nunquam res Ecclesiæ fuisse.
- 17 Hæreditas non transit ipso iure ad hæredes, sed transit præuia acceptatione, propter periculum, quæ incurrit hæres aduendo hæreditatem.
- 18 Repudiatione facta res transit ad hæredes non ex repudiatione, sed ex successione, quæ impediatur legatione facta.
- 19 Ecclesiæ, cui legatum, vel hæreditas est delata, non habet ius absolutum ad illa, sed sub tacita conditione, scilicet si legatario placuerit.
- 20 Fauore Ecclesiæ relicta ipso iure, etiam absque traditione transeunt in Ecclesiam, non absolute, sed reuocabiliter.
- 21 Pupillo, seu minori prohibita est non solum alienatio bonorum, sed etiam omisio lucri: at Prælato solum prohibita est acquisitio lucri alienatio.
- 22 Prælatus, quin & capitulum, peccat grauiter, non admittendo legatum, vel hæreditatem, nisi forsitan ex causa rationabili non admittat.
- 23 Ecclesiæ læsa negligentia, vel facilitate Prælati, non solum damno accepto, sed etiam lucro amisso, potest petere beneficium restitutionis in integrum, quia ei competit tale priuilegium.
- 24 Limitatur modò res non fuerit acquisita alteri Ecclesiæ, quia tunc melior est conditio Ecclesiæ possidentis.
- 25 Ecclesiæ potest etiam agere contra Prælatum, quia ex officio tenebatur rem Ecclesiæ agere, eiusque utilitati consulere.
- 26 Repudiatio hæreditatis, vel legati, facta à Prælato non est valida sine iuris solennitatibus, si facta sit in fauorem illius, ad quem hæreditas non perueniret, sed peruenit solum ex eo, quia Prælatus in eius fauorem repudiavit.
- 27 Prælatus non potest validè hæreditatem iam aditam repudiare, quia hæc est alienatio, cum sit iuris iam acquisitum in alterum translatio.
- 28 & 29. Si maritus, qui iure prohibetur donare uxori, & contra, repudiet hæreditatem, seu legatum sibi delatum, & nondum acceptatum, vt perueniat ad uxorem, repudiatio valet, si scilicet vxor alias erat successura. Secus si nullum ius habebat, & maritus repudiet in fauorem uxoris.
- 30 Eo ipso, quod quis cedit alteri, censetur tacitè, & natura prius adiisse, seu acceptasse.
- 31 Repudiatio, quæ fit à marito de re sibi delata, quam rogat dari uxori, valet, secus si inbeat donari uxori, quia ex mandato supponitur acceptatio tacita.
- 32 Idem operatur tacitum, ac expressum.
- 33 Legatarius rei certa statim per mortem legantis acquirit dominium.
- 34 Ea, quæ legantur, relicta via ab eo, qui legauit, ad eum, cui legata sunt, transeunt.
- 35 Dominium prædictum transit sic à die mortis, verè à die adita hæreditatis.
- 36 Dominium prædictum non est, omnino perfectum, & absolutum ante acceptationem, sed habet hanc imperfectionem, esse repudiabile.

37 Quamuis

- 37 Quamvis legatum retro nostrum sit, nisi repudietur, attamen cum repudiatur, retro nostrum non fuisse palam est.
- 38 Hæres suus a capite domini in hereditatis absque additione, unde & ad suos hæredes eam transmittit; sed reuocabilitur, ita ut possit repudiare.
- 39 Repudiatio valet in dictis casibus, licet bona omnia repudiantis sint hypothecata, vel fisco iure addita ob crimen, aut quamvis faciat in fraudem creditorum.
- 40 Religiosus, cum per professionem cesserit bonis, quæ solum erant obligata pro debito, non tenetur, et soluat si quid debuit superfluum, artem exercere, in sententia tamen auctoris peccat contra iustitiam repudiando hereditatem.

Respondetur, quod Prælatus non possit sine Capituli consensu, aliisque iuris solennitatibus, rei immobilis, vel mobilis pretiosæ legatum, vel hereditatem Ecclesiæ suæ delatam non acceptare, seu repudiare, absque eo, quod incurrat poenas Extravag. *Ambrosiæ*, & Decreti S. Congregationis Tridentini, de quo dicebatur dubit. 1. num. 4. quia talis non acceptatio, seu repudiatio est quadam alienatio; quando quidem ipsa facta, res transit ad hæredem; secundo, quia Ecclesiæ, cui legatum, vel hereditas est delata, habet ius, & actionem ad illa ex dispositione testatoris: ergo non potest hoc ius, & hanc actionem alienare. Consequentia probatur; quia ex dictis inter bona immobilia, & mobilia pretiosa computantur iura, & actiones, quæ sunt ad ipsam rem immobilis, vel mobilia pretiosa. Tertiò, quia favore Ecclesiæ talia relicta ipso iure transeunt in Ecclesiam, etiam absque traditione, l. fin. Cod. de sacrosanct. Eccles. Accedit, quod generaliter quodlibet legatum in specie relictum transit à morte testatoris in dominium legatarij (neque requiritur hereditatis additionem expectari, l. huiusmodi, §. strictum, ff. de legat. 1. l. à Titio, ff. de furtis, §. l. 1. §. sed virum, ff. si quid in fraudem patroni: & probat fuisse Guillel. de Benedictis in cap. Raynaldus, §. si absque liberis, n. 150.

Quarto, quia pupillus non potest sine Prætoris auctoritate repudiare fundum sibi legatum: nam rem suam alienare non potest, l. magis puto, §. si pupillus, ff. de rebus eorum. Ergo sic etiam in casu nostro, præsertim, cum meritò huiusmodi repudiatio, seu iuris abdicatio species alienationis censeretur debeat in causa Ecclesiæ fauorabili, sicuti ex cit. l. magis puto, §. si pupillus, dicebatur de pupillo, etsi in aliis prohibitionibus nomine alienationis non veniat repudiatio legati, vel hereditatis, uti constat ex l. si suspensus, ff. de donation. inter virum & uxorem, ubi permittitur meritò repudiatio legati, vel hereditatis, ut vxori obueniat: & ex l. qui autem, ff. quæ in fraudem creditorum, ubi repudiatio legati, vel hereditatis non censetur alienatio facta in fraudem creditorum. Sic docent Geminianus in cap. 1. de rebus Eccles. non alien. num. 19. Molin. de inst. tract. 2. disput. 468. numero 10. Quaranta verb. Alienatio, num. 23. Lambertin. de inreparatonat. lib. 3. quest. 9. art. 1. numero 31. Corneus lib. 3. consil. 11. numero 2. Sopranus capit. 4. numero 34. Barbosa de potestat. Episcop. allegat. 95. numero 54. & Menchaca de success. progressu lib. 3. §. 27. numero 23.

Contrarium tamen non improbabilius docent Abb. in cap. una, de his quæ sunt à Prælatis, num. 8. Menoch. de arbit. iudicium, q. 9. lib. 2. casu 171. num. 52. Anton. Gomez 2. var. cap. 14. num. 13. Silu. verb. Alienatio, quest. 19. Armilla eodem verb. num. 17. Reb. lib. 18. quest. 14. num. 5. Scottia in selectis Constitut. Epit. 1. theorem. 2. Sanchez de matrim. lib. 7. disp. 4. num. 12. & lib. 7. moral. cap. 6. num. 4. Azor. 2. part. Thom. Delbene de Immunit. Eccles. Pars I.

lib. 9. cap. 1. quest. 12. Riccius in praxi, de is. 96. 1. edit. & Bonacina de contractu fendi, disp. 3. quest. 8. punct. 4. num. 38. ex eo, quia legatum, vel hereditas delata, & Ecclesiæ non incorporata, non est ius Ecclesiæ acquisitum, sed acquirendum; tum ex eo, quia repudiatio non est alienatio, sed solum non acquisitio, l. alienationis, ff. de verbor. significat. Unde paria non sunt, luctum non capere, & acquisita perdere, l. si sponsus, §. si maritus, ff. de donat. inter vir. & vxor. Et confirmatur, quia alioquin debitor repudiens legatum, censetur alienare in fraudem creditorum, contra textum in l. qui autem, ff. de his quæ in fraudem credit. Quod si dicatur, ex his tantum sequi, dictam repudiationem non esse alienationem legati, vel hereditatis; non item, non esse alienationem iuris seu actionis ad ipsa, quod ius, & actio ex dictis inter immobilia, vel mobilia pretiosa computatur. Responderi potest, dictam repudiationem simpliciter alienationem non esse, quia ius legati, vel hereditatis adeunda non est absolutum, sed conditionatum, pendens à voluntate acceptantis; quapropter facta repudiatione, conuincitur nunquam Ecclesiæ fuisse, argum. l. 1. c. 1. mirum autem, ff. si quid in fraudem patroni, ubi dicitur: Quamvis legatum retro nostrum sit, nisi repudietur, attamen cum repudiatur, retro nostrum non fuisse palam est; quod à fortiori dicendum est in repudiatione hereditatis, quia hanc perspicuum est, non transire ipso iure ad hæredem, sed solum transire præuia acceptatione, propter pericula, quæ incurrit hæres adeundo hereditatem.

Hinc ad opposita dici potest. Ad primum nego antecedens, & ad probationem respondeo, quod repudiatione facta, res transeat ad hæredem, distinguo: ita ut transeat ex repudiatione, nego: ita ut transeat ex successione, quæ impediatur legatione facta, concedo. Ad secundum respondetur, distinguo antecedens: Ecclesiæ, cui legatum vel hereditas est delata, habet ius, & actionem ad illa ex dispositione testatoris: habet ius absolutum, nego: habet ius sub tacita conditione, si scilicet legatario placuerit (ut proinde sit ius reuocabile, & imperfectum) concedo. Quapropter non dicitur esse inter bona legatarij, l. pretia rerum, ff. ad leg. Falcidiam. Ad tertium respondetur, distinguo similiter antecedens: favore Ecclesiæ relicta ipso iure, etiam absque traditione, transeunt in Ecclesiam, absolute, nego: reuocabilius, concedo. Ad quartum, omittis aliis solutionibus, respondetur cum Sanchez cit. disput. 4. num. 12. & Gomezio numero 14. concedo antecedens: at nego consequentiam, & disparitas est, quia pupillo, seu minori prohibita est non solum alienatio bonorum, sed etiam ommissio lucri: at Prælato solum prohibita est acquisiti lucri alienatio, non item lucri ommissio.

Cæterum quidquid sit de hac questione, in eo tamen conueniunt primò Doctores, quod possit Prælatus, quin & ipsum Monasterium, grauiter peccare, tum non admittendo tale legatum, vel hereditatem; nisi ex causa valde rationabili id efficerent, Prælatus quidem contra iustitiam, quia ex iustitia tenetur consulere utilitati Monasterij: Monasterium autem saltem contra charitatem, vel aliam virtutem, prodigè scilicet renunciando dictum legatum, vel hereditatem, in damnum aliorum Religiosorum succedentium. DD. quos citat, & sequitur Bonacina de contractib. disp. 3. quest. 8. punct. 4. num. 8.

Conueniunt secundò Doctores, quod possit Monasterium, vel Ecclesiæ in casu posito, vel petere beneficium restitutionis in integrum, quia tale priuilegium ei competit, quotiescumque negligentia, vel facilitate Prælati, non solum damno accepto, sed etiam lucro amisso, læsa est (sicuti docet Gl. in cap. auditis, verb.

- restituimus, de in integrum restitut. Couar. lib. 1. var. cap. 3. n. 10. & 11. Bonacina de contrahib. disp. 3. q. 8. punct. 4. num. 38. Lezana part. 2. cap. 14. num. 60. & Lessius
- 24 de iust. & iur. lib. 2. cap. 17. dub. 9. n. 66. modò res non fuerit acquisita alteri Ecclesiæ, quia tunc melior est conditio Ecclesiæ possidentis. Angel. verb. Donatio, n. m. 48. Mol. loco cit. num. 14. Valquez de redditib. cap. 2. §. 2. dub. 4. num. 39. Quaranta verb. Alienatio, num. 43. Riccius decis. 22. Sanchez loco cit. num. 15. Tabiena, & alij, quos citat, & sequitur Beia 1. p. cas. 41. vers. respondemus. & Soprani cap. 5. quæst. 9. num. 15. vel agere contra Prælatus, quia is ex officio
- 25 tenebatur rem Ecclesiæ agere, eiusque utilitati prospicere, cap. quicumque 12. q. 4. & docet ex communi Sanchez loco supra cit. n. 15.
- 26 Conueniunt tertio Doctores, quod valida non sit sine solennitatibus iuris repudiatio hereditatis, vel legati facta à Prælato, si facta sit in fauorem illius, ad quem hereditas non perueniret, sed peruenit solum ex eo, quia Prælatus in fauorem talis repudiavit. Ratio est, quia huiusmodi repudiatio non est pura repudiatio, cum fieri non possit sine additione hereditatis, cum fieri non possit sine additione hereditatis
- 27 Prælatus autem non potest valide sine solennitatibus iuris hereditatem iam aditam repudiare, quia hæc est alienatio, cum sit iuris iam acquisiti in alterum translatio. Ergo, &c. Sic Rota apud Puteum decis. 519. lib. 2. apud Quarant. verb. Alienatio, num. 23. & 43. apud Caputaquens. decis. 339. part. 9. & apud Soprani q. 29. num. 35.
- 28 Hinc quamvis si maritus (qui iure prohibetur donare uxori, & econtrà, vt communiter Doctores ex l. cum hic status, ff. de donat. inter virum, & uxorem, & ex capit. fin. eodem titul. ex eo, ne coniuges mutuo amore se bonis suis spoliarent) repudiet hereditatem, legatum, vel fideicommissum sibi delatum, & nondum acceptatum, vt perueniat ad uxorem, repudiatio valeat, l. si sponsus, §. si maritus, ff. de donat. inter virum & uxorem, (si scilicet vxor alias erat successura, vt quia v. g. marito erat substituta, vel quia abintestato debebat succedere, sicuti notauit Gomezius tom. 2. cap. 4. num. 23. & seqq. quia tunc non immediatè accepit à marito, sed iure proprio, quod habebat marito non acceptante) tamen non valet repudiatio, si ipsa nullum ius habebat, & maritus repudiet in fauorem vxoris, quia tunc potius erit cessio quàm repudiatio; siquidem ipsa tunc immediatè accepit à marito, & consequenter talis cessio in fauorem vxoris non valet, quia continet tacitam acceptationem naturà priorem: nam hoc ipso, quod cedit alteri, censetur tacitè, & natura prius adiisse, seu acceptasse, sicuti colligitur ex l. si auia, Cod. de iure deliberandi. Similiter, quamvis valeat repudiatio, si maritus quid sibi oblatum non acceptet, sed roget dari vxori, quia tunc non acquirit, non tamen valet repudiatio, si maritus quid sibi donatum iubeat dari vxori: quia hoc ipso, quod id mandat, supponitur is tacitè acceptasse, & ex alio capite idem operatur tacitum, ac expressum, vt colligitur ex l. 1. ff. de rebus eorum, qui sub tutela, vbi dicitur: Si minor emat prædium obligans illud pignori, donec soluat integrè pretium, obligatio non valet, quia hoc ipso, quod dominium acquisitum est minori, incipit non posse obligari: censetur autem acquisitum tacitè, & prius natura, quam possit oppignorari.
- 33 Neque obstat, si dicas, quod legatarius rei certæ statim per mortem legantis acquirit dominium legati, quia vt habetur in cit. l. à Titio, ff. de furtis, ea qua legantur, rella via ab eo, qui legauit, ad eum, cui legata sunt, transeunt. Vbi Bartolus dicit, hoc dominium transire fide à die mortis, verè die aditæ hereditatis. Ergo repudiatio talis legati est alienatio, & donatio, ac proinde non valet.

Respondetur enim, nego consequentiam, quia vt dicebam, hoc dominium non est omnino perfectum, & absolutum ante acceptationem, sed habet hanc imperfectionem, quod sit repudiabile, aded vt si repudiatur, retrorahatur repudiatio, & fingatur nunquam acquisitum, vt supra etiam dicebam ex cit. l. ff. si quid in fraudem patroni, ibi: Quamvis legatum retro nostrum sit, nisi repudiatur; atamen cum repudiatur, retro nostrum non fuisse palam est. Idem cernitur in hereditate respectu hæredis sui: hic enim statim accipit dominium hereditatis absque additione, vnde & ad suos hæredes eam transmittit, sed reuocabiliter; ita vt possit repudiare, sicuti constat ex l. apud hostes, Cod. de suis, & legitimis hæredibus, & ex l. si fratris, Cod. de iure deliber. & docet ex communi Gomezius tom. 1. cap. 9. num. 17. & 20. Quapropter valet ex dictis casibus repudiatio, quamvis bona omnia repudiantis sint hypothecata, vel fisco iure addicta ob crimen; aut quamvis faciat in fraudem creditorum, quibus potuisset soluere, si non repudiasset, in quo postremo casu (etsi Gomez tom. 2. cap. 4. n. 22. putet illum etiam licitè id posse facere, forsitan quia, vt ex S. Thoma notat Sanchez de matrim. lib. 6. disp. 4. creditoribus sint tantum obligata bona, non item persona debitoris, quæ libera est pro ære alieno soluendo: vnde complures Doctores docent, quod Religiosus, cum per professionem cesserit bonis, quæ solum erant obligata pro debito, non teneatur, vt soluat, si quid debiti superfluerit, artem exercere) puto peccare contra iustitiam, quia eadem virtute quis obligatur ad finem, ac ad media necessaria: sed debitor obligatur ex iustitia ad finem, nempe ad debiti solutionem: ergo ex iustitia etiam obligatur ad acceptationem hereditatis, quæ hic, & nunc est medium necessarium ad talem finem, nempe ad dictam debiti solutionem, repudiatio tamen erit valida ob dictam rationem.

DVBITATIO VII.

An si relictum sit legatum rei immobilis monasterio incapaci retinendi rem immobilem, possit Prælatus monasterij in proprios, & quotidianos vsus monasterij sine solennitate iuris talem rem legatam alienare.

SVMMARIVM.

- 1 Prælatus monasterij incapaci legatorum potest sine solennitatibus in proprios, & quotidianos vsus monasterij rem legatam alienare.
- 2 Extraneas ambiciose loquitur de bonis Ecclesiæ incorporatis.
- 3 Legata res immobilis, non est monasterio ob eius incapacitatem incorporata.
- 4 Relinquens legatum rei immobilis monasterio incapaci, tacitè videtur illud voluisse relinquere ad vsus monasterij eo modo, quo potest, secus dicendum est si fuerit legatum rei mobilis pretiosæ.
- 5 Monasterium licet legatorum incapax non dicatur, tamen incapax est retinendi rem mobilem pretiosam, & propterea est monasterio per acceptationem incorporata.

Respondetur, affirmatiuè, quia prohibito alienationis ex Extrauag. Ambiciose, est solum pro bonis Ecclesiæ incorporatis; at dicta legata res immobilis non est monasterio, ob eius incapacitatem, incorporata, ex Clement. Exini, de verbor. significat. Ergo, &c. Confirmatur, quia qui relinquit legatum rei immobilis monasterio incapaci, tacitè videtur illud voluisse relinquere, vt illo monasterium vtatur modo, quo